



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Requisivit 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

contractum & consummatum matrimonium, c. 2. c. *Ex publico 7 c. Ex parte 9. inf. De convers. conjugat*

Mirum videtur, cur summus Pontifex hoc Cap. rescribat, matrimonium prius contrahendum esse à sponso, cum hic contractus planè inutilis videatur. Siquidem aperti juris est, matrimonio contracto, ante consummationem, quæ fit per copulam, permittum esse alteri contrahentium, invito etiam altero, Religionem ingredi, jam dictis juribus.

3 Quare Posthumus Cujacianus hinc existimat hunc contractum fieri magis dicis causâ, hoc est, tantum ad speciem sive simulatè, quàm verè sive ex animo, ut hoc qualicumque connubio propter juramentum Deo satisfiat. Sed fallitur Posthumus, adeoque contumeliosè incurrit in summum Pontificem hujus textus auctorem, dum cautionem hanc de contrahendo prius matrimonio vocat injuriosam, & adversus Majestatis providentiam. Similis ejusdem Posthumi calumnia est in c. *Debitores sup. De jurejur.*

Loquor de Posthumo Cujaciano, hoc est, de Recitationibus, sive commentario in libros Decretalium edito post mortem Cujacii, qui aut à male volis in imprimendo corruptus est, aut contra Cujacii voluntatem prælo commissus & editus. Nam ipse Cujacius non solum in privatis colloquiis, sed palam & publicè professus est sæpè, supremisque declaravit verbis, se nolle quidquam edi post mortem suam, præter tres libros posthumos Observationum, videlicet XXV. XXVI. & XXVII. sicut attestantur Thuanus, Pu-

teanus, Oicelius, Faber, & Pithæus; quorum testimonium extat in Francofurt. editione Operum Cujacii, anno M. D. XCV. ita quòd hic Posthumus in Decretales, tum & alii, qui vulgò circumferuntur, non immeritò pro suspectis haberi possint. Quod obiter hic insinuare volui, propter eos, qui imprimunt, vel studiosè legunt posthuma opera Cujacii viri alioquin celeberrimi; ut si quæ ibi reperiantur indigna, ea potius ab aliis malà fide aspersa, quàm à tanto viro profecta existiment.

Cæterum redeundo ad textum nostrum, alia multò & vera Innocentii sententia hæc est, quæ & communiter ab aliis recepta, teste Præposito, in c. *hoc nost. sub num. 3.* quòd cum hic sponsus non deliberatò & firmiter secum statuerit Religionem ingredi, sed motu quodam conscientie impulsus tantummodò aspiraret, multa que subinde incidant, quæ remorari aliquem possent ab ingressu Religionis, ideo summum Pontificem hoc textu nostro rescripsisse, quòd tutius sit ipsi sponso, ut matrimonium prius contrahat, ne illud extrahendo, biennii tempus elabatur, & perjurii erimen incurrat. Atque hanc esse veram sententiam indicat ipse textus, dum his verbis utitur: *Ad frugem melioris vite transire suspirat.* item dum ait: *Tutius est ei prius contrahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare.* Nam si certò sponsus constitisset Religionem ingredi, tunc rectè dici posset inutilem fore contractum matrimonii, ac proinde juramento non obstante sponsum ingredi posse Religionem, secundum Innoc. hic & confirmat textus in cap. 3. *sup. De jurejur.* & c. 4. *sup. De voto.*

In Cap. Requiravit 17.

De hoc Capite egimus superius, ad cap. *Ex literis Silvani 10.*

In Cap. Cùm in Apostolica.

SUMMARIA.

1. *Litis pendentia super matrimonio non impedit contrahi secundum sponsum erat nullum.*
2. *Ratio hujus decisionis*
3. *Contra lens matrimonium credens impedimentum subsistere an verè contrahat.*

1 **N**ota hic casum singularem, quo lite pendente innovatio admittitur, contra Tir. Decretalium & Cod. *Ut lite pendente nihil innovetur.* Cùm enim villicus quidam contra uxorem suam ad divortium, id est, separationem matrimonii ageret, fortè propter contanguitatem vel affinitatem, & lite pendente contraxisset cum alia muliere hujus facti ignarâ, sententiaque divortii postea promulgata fuisset inter illum & priorem conjugem: decidit hinc summus Pontifex posterius matrimonium jure subsistere, eò quòd ex sententia divortii postea latâ compertum sit, prius matrimonium re ipsâ non valuisse. Interim villico penitentia imponi jubetur.

Hujus